



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cursus theologici iuxta scholasticam huius temporis
Societatis Jesu methodum tomus ...**

Amico, Francesco

Duaci, 1640

VII. An Theologia nostra subalternetur Theologiæ Dei, & beatorum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82000)

in sola contemplatione veritatis, qua speculatiua est; & concedo: quia etiam practica esse potest: & nego. Ad Confir. nego sequelam maioris. Non enim dicimus, notitiam practicam necessarium supponere speculatiuam, sed non repugnare cum illa. Est enim notitia speculatiua cognitio de essentia, & proprietatibus rei, quae non necessarium supponitur ad practicam, quae tantum dicitur de modo operandi: non tamen repugnat esse cum illa.

107. Probata prima parte conclusionis, probatur 2. Nempe quod in nostra Theologia de facto detur aliquis habitus, qui simul sit formaliter practicus & speculatiuus: nam de facto datur aliqua cognitio, quae exprimit naturam rei, & simul dirigit ad praxim; qualis est notitia bonitatis increatae, nec non virtutis, quae simul explicat naturam obiecti, & dirigit ad amorem erga illud. Quod autem talis habitus sit formaliter, & non eminenter speculatiuus & practicus, probatur: quia ille habitus est formaliter speculatiuus & practicus, cui formaliter conuenit ratio speculatiui & practici: atqui huiusmodi habitui formaliter conuenit ratio speculatiui & practici; quia formaliter est notitia veritatis, & simul directio praxis: ergo.

108. Dico 3. Theologia nostra constat ex multis habitibus speculatiuis, & ex multis practicis; atque adeo totaliter sumpta nec simpliciter speculatiua, nec simpliciter practica; sed partim speculatiua, partim practica dici debet: partialiter verò accepta, vel pro habitu tantum speculatiuo, vel pro habitu tantum practico, dici potest, & debet speculatiua, vel practica. Omnia constabunt, si tantum primum assumptum fuerit probatum: illud autem à priori sic probatur. Obiectum Theologiae est Deus tum secundum se, tum ut finis à nobis consequibilis: sed consideratus secundum se necessarium parit habitum speculatiuum; quia ut sic consideratur tantum ratione veritatis à nobis cognoscibilis: consideratus verò ut finis, medijs nostris actibus consequibilis, necessarium parit habitum practicum; aut qui simul sit speculatiuus circa naturam & essentiam tam finis, quam medijs; aut qui tantum sit practicus directiue tantum medijs ad finem. Nam, ut sic, consideratur ut terminus consequibilis per nostras operationes, & consequenter nostrae operationes habent se ut praxes dirigibiles per habitum Theologicum, ergo Theologia nostra totaliter sumpta habet aliquos habitus pure speculatiuos, aliquos pure practicos, vel simul speculatiuos & practicos, à quibus denominari potest, & debet partim speculatiua, partim practica.

109. Ceterum an debeat appellari magis speculatiua, an magis practica: S. Th. & Thomistae in priorē partem inclinant; alij in posteriorem, ego in neutram: sed censeo illam aequè speculatiuam, ac practica appellandam esse. Fundamentum est: quia Theologia non minus considerat Deum, ut finem consequibilem per humanos actus, quam secundum se, & ut princi-

pium est creaturarum: ergo non minus considerat illum, ut est obiectum virtutis practicae consequibile, quam ut est obiectum virtutis speculatiue cognoscibile.

110. Ad fundamentum primae nego antecedens: sola enim cognitio Dei ut ultimi finis pro se ordinatur ad consequentem illius. Ad prob. verò antecedentis, distinguenda est minor: nam omne obiectum à Deo homini reuelatum, ultimatum dirigitur ad consequentem ultimi finis, ex extrinseca duntaxat intentione reuelantis, non autem ex intrinseca natura, & conditione obiecti, quod tantum spectandum est in ratione practici & speculatiui in scientijs: alioqui ex sola intentione scientis omnis scientia, quatuor speculatiua, fieri posset practica per extrinsecam duntaxat ordinationem ad praxim. Eodem modo responderetur ad prob. minoris: etenim concedo, obiectum homini à Deo reuelatum, esse scripturam sacram; Nego autem quidquid in scriptura sacra continetur per se, & ex intrinseca natura obiecti, sed solum ex extrinseca intentione reuelantis ordinari ad consequentem ultimi finis. Ad Confir. nego maiorem, si intelligatur de tota Theologia; quia haec non tantum est directiua virtutum; sed etiam speculatiua Dei.

111. Ad fundamentum secundae, neganda est minor de ordinatione per se, & intrinseca ipsi obiecto: alioqui Ethica, quam multi Prisci Philosophi addiscebant, ut liberius opera naturae contemplaretur, fuisset in ijs habitibus speculatiuis, quia ex intentione ipsorum ordinabatur ad speculationem. Ad Confir. Nego Ethicam ex eo tantum dici simpliciter practicam, quia ea, quae speculatiue in ipsa tractantur ad praxim dirigitur, extrinseca duntaxat intentione scientis, sed quia id postulat natura & conditio ipsius obiecti. Cum enim obiectum scientiae moralis sit virtus: virtus autem magis postulet, ut subiectum perficiat per suum esse reale, quam per suum esse intentionale, cognitio ipsius suapte naturam ordinatur ad praxim, atque ad ipsum reale exercitium virtutis.

SECTIO VII.

An Theologia nostra subalternetur
Theologiae Dei, & beatorum?

112. PRIMA Sententia affirmat. Est Capreolus. preoli q. 1. Prologi conclusio. 2. Caietanus. P. P. q. 1. ar. 2. §. quo ad secundum. Nazarij con- Caietanus. Nazareus. trouersia secundum. Fundamentum est, quia Theologia nostra habet quidquid requiritur ad essentialē rationem subalternationis respectu scientiae Dei & beatorum. Antecedens probant: quia, quod essentialiter ad rationem subalternationis requiritur, est ut subalternata sua principia accipiat à subalternante, ut per continuationem cum illa sortitur rationem scientiae. Sed Theologia nostra sua principia accipit à scientia Dei & Beatorum, & per continuationem cum illa sortitur rationem scientiae; ergo est illi subalternata. Maior est

S. Tho.

S. Thomas.

S. Tho. 1. p. q. 1. ar. 2. Minor probatur quoniam Theologia nostra procedit ex articulis Fidei, tanquam ex principiis creditis, & acceptis ex scientia Dei, & Beatorum, in qua tantum sunt evidentes: ergo habet quiddam requiritur ad essentialem rationem subalternationis. Confirmatur, & est exemplum S. Doctoris: quia sicut Medicus subalternatur Physico, cuius auctoritate credit, esse quatuor elementa: ita viator fidelis subalternatur Deo, cuius auctoritate credit ea, quae per suos nuncios reuelat.

Scotus.
Aureolus.
Reliqui
Scholastici.

113. Secunda Sententia negat. Est Scoti in Prologo. q. 5. Laterali Aureoli. q. 1. ar. 3. & reliquorum Scholasticorum, quae ut communior est, ita probabilior & à nobis amplectenda. Fundamentum est; quia ex omni sententia ad perfectam subalternationem non sat est, ut scientia subalternata accipiat principia à subalternante; sed praeterea requiritur, ut obiectum subalternatæ addat aliquam differentiam accidentalem supra obiectum scientiae subalternantis, quae sit principium aliquarum conclusionum pertinentium ad solam scientiam subalternatam; velut obiectum perspectiue, quae subordinatur Geometriae, supra lineam, quae est obiectum Geometriae, superaddit visualitatem, quae in perspectiua est principium multarum conclusionum, quae spectant ad solam perspectiuam. Hanc conditionem non addit Theologia nostra supra Theologiam Dei & Beatorum: ergo non est illi subalternata. Maior est omnium Philosophorum & colligitur ex Arist. 1. Posteriorum 10. cuius rationem assignat Scotus: quia ubi definit subalternans, ibi incipit subalternata ad novas conclusiones ulterius demonstrandas. Minor prob. nam obiectum Theologiae nostrae & Beatorum est idem, nempe Deitas sub ratione Deitatis: nec ulla est conclusio in Theologia nostra, quae non sit nota in scientia Beatorum.

Aristotel.
Scotus.

114. Nec satisfaciunt aduersarij, dicentes, obiectum Theologiae nostrae distingui ab obiecto Beatorum per reuelationem obscuram, & claram, siue per lumen obscurum fidei, & clarum gloriae: quia lumen obscurum siue reuelatio non est ratio aliqua, tenens se ex parte obiecti materialis, quae sit principium alicuius conclusionis in Theologia nostra, cuius principium non sit obiectum ipsum in Theologia Beatorum: cum nulla conclusio sit in Theologia nostra, quae non cognoscatur à Beatis vi scientiae Beatae.

S. Thom.

115. Ad fundamentum. 1. Nego antecedens: ad cuius prob. neganda est Maior: & ad auctoritatem S. Th. dicendum nunquam illum expressè docuisse, Theologiam nostram subalternari Theol. Dei, & Beatorum, sed habere se ad instar scientiae subalternatae: quod notauit Bannez in 1. p. q. 1. ar. 2. ad tertium. Vnde citato loco Primae partis solum dicit Theologiam nostram procedere ex principiis notis lumine superioris scientiae, scilicet Dei & Beatorum: sicut Perspectiua procedit ex principis notis lumine superioris scientiae, nempe Geometriae. Cum enim haec sit una ex conditionibus, ad subalternationem requisita, merito in hac

Bannez.

S. Thomas.

S. Th. Theologiam nostram respectu Theologiae Dei & Beatorum comparat perspectiuam respectu Geometriae. Ceterum, quia non participat reliquas conditiones essentielles, non est perfectè subalternata. Ad Confr. Nego paritatem: Nam Medicina subalternatur Physica per additionem nouae rationis sanabilitatis, tenentis se ex parte obiecti ut principij multarum conclusionum, quae ad solam spectant medicinam: non ita Theologia nostra Theologiae Dei & Beatorum. S. Tho. autem vsus est exemplo, solum ad ostendendam primam conditionem subalternationis.

116. Ex dictis deducitur 1. Theologiam nulli scientiae naturali subalternari: nam etsi interdum utatur aliquo principio naturali ad suas conclusiones probandas, eo tamen non utitur, ut naturale est formaliter, quo pacto est principium scientiae naturalis, sed ut virtualiter reuelatum in ipso principio supernaturali reuelato: quo pacto trahitur ad rationem ipsam formalem obiecti Theologici: Tum quia non utitur illo, ut in eo se principaliter fundet: sed tanquam instrumento ad suas conclusiones melius explicandas.

117. Petes an saltem scientiae naturales subalternentur Theologiae? Resp. Negatiue, loquendo de propria subalternatione: quia cum Theologia nitatur in euidentiā suorum principiorum, reliquae vero scientiae naturales euidentiā principiorum, non possunt scientiae naturales sua principia accipere à Theologia, quae procedit ex principiis obscuris, solo testimonio Dei virtuali creditis. De impropria vero subalternatione non est negandum siquidem Theologia reliquas scientias naturales regulat quoad veritatem suorum principiorum. Cum enim Theologia sit certior quavis scientia naturali propter principia reuelata certiora, potest illas quoad veritatem suorum principiorum regulare.

118. Deducitur 2. Neque Theologiam nostram subalternari habitibus infusis. Quoniam vel hi sunt habitus morales existentes in voluntate: atqui nullus habitus intellectualis, qualis est Theologicus, subalternari potest habitui morali existenti in voluntate: Tum quia subalternatio dicit subiectionem, quam non habet habitus intellectualis ad habitum morale, sed potius contrā: tum quia principia vnius sunt diuersa à principiis alterius, & consequenter non potest vnus habitus uti principiis alterius: vel sunt intellectuales, ut est habitus fidei: & neque huic propriè subalternatur Theologia, sed tantum improprie: sicut dicitur habitus scientiae, subalternari habitui principiorum. Nam ita se habet Theologia ad habitum fidei, sicut habitus scientificus ad habitum principiorum: sicut enim habitus principiorum immediatè tendit ad cognoscenda principia, quae deinde cognita, sunt medium cognoscendi conclusiones: ita habitus fidei immediatè tendit ad credendos articulos reuelatos, qui deinde crediti sunt medium, siue principium cognoscendi conclusiones Theologicas.

SECTIO